Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26467
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tina die si dominus dederit loquendi potestatem uel copiam.
plenius intimabo. Opus est ut sanctas uestras aures paratas
habeatis. promptiorem animum. ut ea que nos colligere
possimus de serie scripturarum et uobis intimauerimus
tenere possitis. ut habeatis gratiam patris et filii et spiritus
sancti. cui trinitati perpetuum regnum est. a seculis et nunc et semper
et in secula seculorum. Amen. SERMO TERCIUS.
In Diluuio quoque figuram baptismatis precessisse hes-
terno cepimus disputare. Quid est diluuium. nisi in quo
iustus ad seminarium iusticie reseruatur. peccatum mo-
ritur. Ideo dominus uidens hominum pullulare delic-
ta iustum solum cum sua progenie reseruauit. aquam autem
super montes exire precepit. Et ideo in illo diluuio omnis
corruptela carnis interiit. sola iusti prosapia et for-
ma permansit. Nonne hoc est diluuium quod est baptisma.
quo peccata omnia diluuntur. Sola iusti mens gratia
resuscitatur. Multa genera baptismatum sunt. sed
unum baptisma clamat apostolus. Quare. Sunt baptismata
gentium. sed non sunt baptismata. Lauacra sunt.
baptismata esse non possunt. Caro lauatur. non culpa di-
luitur. immo in illo lauacro culpa contrahitur. Erant
baptismata iudeorum. alia superflua. alia in figura. et
figura ipsa nobis proficit. quia ueritatis est nuntia.
Quod lectum est heri. Angelus inquid secundum tempus descen-
debat in piscinam. et quocienscumque descendisset